



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Pancratius M. 12. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

302 VITÆ SANCTORUM. 12. Maii.
retulit, infelicem animam cum alvo de-
jicit. GANGULPHUM miracula divis ex-
quarunt; quæ cùm adultera traduceret,
infami per omnem vitam supplicio est
exercita, quod prodere verecundiores,
quàm illa fuit, literæ erubescunt. Ex Sur.

Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut quid-
quid dixeris juratum putas. De quo Salva-
tor ad discipulos ait. Non jurate omni-
no: Sit autem sermo vester. Est Est, Non
Non; quod autem his abundantius est, à
malo est. S. Hieron. ep. 14.

S. PANCRATIUS M. 12. Maii.

NON omnes serò sapere Phryges,
PANCRA TIU S ipse quoque Phryx
ostenderet. Quatuordecim non amplius
natus annos vitâ quâm Christum ma-
luit perdere, quæ quidem summa est sa-
pientia. Principe familia, Cledonio pa-
tre ortus, eoque mortuo, Dionysio
patruo in tutelam commendatus Ro-
mam cum eo commigravit, quo tem-
pore Diocletianus, Christiani sanguini-
nis gurges, totius Imperii viribus ad
exscindendam innocentiam abutebatur,
commodum accidit, ut in eâdem re-
gione urbis Romanus Pontifex latitar-
ret, in quâ PANCRA TIU S domicil-
lium collocarat, nimirum ut dignissimâ
manu hoc lilium Numini consecraretur:

cuius

12. Maii. VITÆ SANCTORUM. 303
cujus impulsu PANCRATIUS ultiro
cum patruo illis ab eo tingi aquis petiit,
quibus omnes cæli flores rigantur. Voto
potitus tam suavem pietatis halare odo-
rem coepit, ut venaticos Diocletiani ca-
nes, omnia Sanctorum vestigia odoran-
tes, non potuerit latere. Raptus ad tri-
bunal quantumvis sanguinarios Cæsaris
oculos rapuit qui tamen præter oris for-
mam nihil intuebatur. Ergo blanditias
primum admovit, infantulum appellans,
& filii nomen offerens, si se patrem,
& Iovem habere Deum voluisse. Utrum-
que contempsit, & Jovem quidem ge-
nerosissimè, negans tam puerum esse se,
ut adulterum, & sororis suæ maritum si-
bi putet adorandum. Diocletianus ne
plura audiret æquè erubescenda, jussit
hunc omnis elegantiæ flores demeti, cu-
jus sanguine utinam Mariani rigentur
horti; o quales nascentur Narcissi? Ex
Surio & Brev. Rom.

*Qui differt in futuram & forsitan non
futuram etatem suam vitam corrigere, cer-
tum bonum dimittit procul dubio; & con-
temndo, quod perdit, probat se non ama-
re, quod expectat, & meretur non accipere.*
S. Anselm. ep. i.

S. EPIPHANIUS EP. 12. Maii.

IUvat suavitatem divinæ circa teneram
etatem providentiae in EPIPHANIO
agnos-